

AD I. COR. CAP. IX.

ἵνα μὴ ἐγκοπὴν πῶς δώμεν τῷ Εὐαγγελίῳ τὰ χεῖρ᾽. 55

*Eγκόπειν* est impedire Rom. XV. 22. Gal. V. 7. 1. Thesal. II. 18. Hinc *ἐγκοπή* impedimentum, ut ubi via intercisa est. 55

Hoc impedimentum faciliè oriri poterat è mercedis vel sumptuum necessariorum acceptione, etsi per se licitâ & justa; Ideò jure suo Apostolus uti noluit, ne ullâ ratione remoraretur Evangelium, neve speciem id haberet, quasi prædicatio Evangelii ventris causa fiat, non ob salutem Auditorum; quod scandalum declinare etiam voluit Apostolus, ad cursum Evangelii melius isto tempore in Ecclesiâ plantandâ promovendum. Nec tamen inde colligat quis, illum *per se* impediri acceptione stipendii, vel exemplo Apostoli gratis esse serviendum Ecclesiæ. Nam satis Apostolus *jus accipiendorum stipendiorum* asseruit *exemplis, similitudinibus, argumentis, & mandatis divinis*. Nec illi obstat præceptum Domini *Matth. X. 8.* Nam illud agit de dono miraculorum, non de præconio verbi, de quo *Luc. X. 7.* Dominus ordinavit, quod *operarius dignus sit mercede suâ*, quæ tamen non datur pro doctrinâ, utpote quæ nullis mundi thesauris rependi potest; sed pro labore ministerii, & ut illi sine curâ & solitudine victus vacare possint *Syr. XXXIX. Gal. VI. 6.* Interim remittendum quandoq; de jure nostro, & sustinendi defectus, ne offendiculum & detrimentum præconii Evangelici oriatur.

V. 13. Οὐκ οἶδατε, ὅτι οἱ τῶ ἱερῶ ἐργαζόμενοι, ἐκ τῶ ἱερῶ ἐδίδασιν. 55

Levitæ nimirum, quorum erat maclare pecudes. Hi de sacro vivebant, id est de decimis. 55

Οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες ἢ τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται. 55

Manuscriptus hic habet *παρεδρεύοντες*. De quâ voce diximus supra VII. 35. Intellige sacerdotes, quorum erat extra aris imponere, partes autem sibi retinere Lev. VII. 6. Ideò rectè hic dicuntur partiri cum ipso altari, tam de sacerdotibus, quàm de Levitis. Vide locum Deut. XVII. 1. Sic Jon apud Euripidem: *βῶμα ἢ ἐφεβον*. 55

Prius de *sacrario* rectius ad *Sacerdotes & Levitas simul* refertur: 55